

ILLUSTRISSIMO VIRO JOANNI

EQUITI, MARCHIONI DE GASSION,

ET D'ALUYE,

COMITI DE MAGEZIR, ET MONDOYER,

BARONI D'AUDAUX, ARBUS, BUGNEIN, MERITEIN, &c.

ANTIQUO GUBERNATORI CÆQUOSÆ, ET SAN-SEVERI,

CASTRORUM PRÆFECTO.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 19 Mensis Decembris 1720.

M. CLAUDIO DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE, Doctore Medico, Præside.

An fluxûs menstrui & transpirationis materies eadem?

I.



UOD Græci Καταμήνια, Latini verò *Menses*, *Menstrua*, *Flores* vocitant, sunt periodicum & naturale sanguinis ab utero & vaginâ profluvium. Tenellis ignotum est virginibus, pubertatis vulgare signum, munificus sanitatis index, mulieris ornamentum & decus, quo artibus & disciplinis alumnos, nepotes patribus, heroïbus successores pollicetur. Non ergo, ut quidam scurræ asso-

lent, fœminei corporis sentinam uterum dicito; nec menstruam vacuationem fatuis dicteriis prosequitor. Qui singulo mense funditur sanguis, si sana fuerit fœmina, non fœtet; non mali coloris est, prodit enim *velut à victimâ*; non qualitate ullâ ab arterioso sanguine degener, immò arteriosi pars est purissima. Audi quibus jactentur fœminæ doloribus si statis temporibus non erumpat, & à symptomatum gravitate vacuationis hujus præstantiam & utilitatem intellige. Decoloratur vultus, deprimitur cibi appetentia, nauseat stomachus vel evomit, cor laborat palpitationibus, anhelant, febricitant paululùm; nunc lacrymas, gaudium timoremque delirio commiscent. Ab anno ætatis decimo-quarto ad quadragesimum-octavum usque uterum mensibus singulis cruentari notum est experientiâ, nisi gesserit utero fœmina vel lactaverit. Pro tamen temperamentorum varietate, regionum temperie, *rerum non naturalium* usu diverso variare hujus evacuationis terminos satis superque constat. Variat & quantitas. Hæc secundùm Hippocratem duarum *Heminarum Atticarum* est. Hemina uncias circiter decem ponderare creditur. Undenam istiûs sanguinis proventus? quænam est hujus effluxûs causa efficiens? plurimum inter Medicos controvertitur. Proh vana Majorum nostrorum in rebus Physicis indagatio, in quâ primus erat ad veritatem gradus error, vel mendacium! Nunc occultis facultatibus, astrorumque influentiis nec ipsi credunt pueri; fermentis vix ulla restat hodiè apud eruditos fides. Quæ transpirationis, eadem est menstrui fluxûs materies, cùm uniuscujusque eadem sit causa, & sola utriusque diversitas ab accidentibus sit repetenda.

Hipp. lib. 1°. morb. mulier.

Lib. 1°. de morb. mulier.

II.

HUMORIS ignoti priùs, desumere proventum ab uberiori secretione rationi magis est consonum, quàm eumdem ab aliis minus abundantibus secretionibus repetere. Non à bile, non à succo pancreatico, salivâ, lymphâ scaturiunt menses. His in secretionibus secreti succi maxima est utilitas. A perspirationis igitur insensibilis materie habeant originem necessum est. Transpirationi illud est peculiare, ut in alios facilè humores commutetur: alii è contra corporis succi difficulter fiunt perspirabiles. Hæmorrhagiæ, alvi fluxus, frequentia sputa, continui sudores, aliæque vacuationes quamplurimæ quæ in morbis quotidiè apparent, nihil aliud sunt, quàm ipsamet perspirationis insensibilis materia, per sensibiles corporis vias non sine incommodo effluens. Transpiratio est perenne humoris tenuissimi & insensilis per exilia cutis vascula effluvium. Nulla in toto corpore utilior vacuatio, nulla major; nullus magis tritus magisque comminutus succus. Quò est insensilior, eò laudabilior. Innumeris perforari cutem foraminulis, quibus residuum alimenti nubeculatim avolat, satis à Leuwenhoekio demonstratum; sed & in intimis visceribus fieri transpirationem plurimi non credunt. Fit tamen, & unius diei spatio per respirationem per os factam ad semilibram circiter educi, experimento patet Sanctoriano. In pueris satis abundè, in adultis pleno flumine, in senibus difficulter effluit. Si plus æquo foras pellitur, emacrescit animal; si deficit, augetur statìm corporis pondus, & à pristino sensim recedit æquilibrio. Pendet à nutritione hic transpirationis fluxus, ita ut perfectâ nutritione, exquisita fiat transpiratio. Nec minùs cum nutritione congruit sanguinis menstrui profluvium; si enim bene nutriuntur partes, tempore solito laudabilis fiet *Catameniorum* evacuatio. Immò postulant menses quasi factum in organis incrementum, quò partibus concilietur robur, coarctentur fibrarum poruli, minor impendatur succi nutritii quantitas insensibilis transpirationis fluxum non eâdem proportione adaugens, quâ adaugetur copia, aliam proindè viam naturæ viribus accommodatam quæritans.

Epist. 43. De Ponder. aphor. V.

III.

CUM crisibus quas prudens natura in morbis ad salutem molitur, non immeritò comparari possunt menstruæ vacuationes. Utræque certum temporis intervallum postulant; utræque turgentem materiam eliminant. Quis unquam Physicus ratæ hujus constantisque periodi causam dabit? Sic plura complectitur ars Medica, quibus religiosum est credere, quia experimentis respondent; quæ verò curiosiùs rimari temerarium est, & inutile. Differunt tamen crises & menstrua, quod hæc ad incolumitatem conservandam, illæ necessariò fiant ad restituendam sanitatem. Neque tu credideris solam fœminam periodicam purgationem pati: viris etiam compluribus familiaris est. Vel hæmorrhoidalia vasa aperiuntur, vel ex naribus prosilit sanguis, vel coa-

cervatum in vesiculis seminalibus ad nobile generationis opus semen sponte suâ profundi vir mæret; quin etiam quasi facta crisi per urinam paulò copiosiorem aut turbidiorem corporis pondus circa cujusque mensis finem minuitur. Refluentis transpirationis species est menstrui sanguinis secretio. Fit ille refluxus ex auctâ perspirationis insensibilis materie, quæ per coangustatos partium meatus difficilè fluens, in vasa majora cogitur refluere. Illucescit illud idem in morbis, in quibus præ copiâ humoris ad exitum impetum facientis, latentes fiunt μεταστάσεις, quæ per certum temporis spatium intra partes cum sanguinis circuitu feruntur. Sic in magnis vulneribus imperfecta, licet abundans ferè semper sit puris excretio, ejusdem pars à vasis capillaribus in vulneris superficie hiantibus sæpissimè resorbetur, & ad sanguinis massam reducitur: hinc mors repentina, nisi felix puris abundantis per urinas fiat emissio; quod quandoque accidit. Circa pubertatis tempus jam est fibrarum confirmatus elater: majori ergo cum robore quatitur undique sanguis; magis pressus ille, majori cum velocitate vasa percurrir. Ex his sequitur & nutritio minor, & major evacuatio. Partes enim nutritioni aptæ, successivè ad fibrillarum ostiola venientes, tantâ vi à sequentibus propelluntur, ut fibris adhærendi non detur tempus. Itaque qui partibus alendis priùs inserviebat humor, nunc in ipsarum impetui sustinendo totus est: sed cùm resistere diu nequeat, ab altero subsequenti liquore ad cutem usquè tantâ vi expellitur, ut difficilè cederet, nisi pars quædam per lymphatica vasa excretoriis canaliculis vicina in venas rediret, de integro utilis futura, si per muliebria evacuetur.

Sanctor. de Ponder. aphо. LXV.

IV.

SOLIDAS inter & fluidas corporis partes perfectum æquilibrium dari non magis est possibile quàm temperamentum *æquale ad pondus*. Si daretur, cessaret motus. Indesinenter cum fluidis luctantur solida: nunc hæc, nunc illa primas tenent. Fluidorum tamen in corpore sano fugax est victoria; statim atque resistunt nimiùm, per viam faciliorem eliminantur. Menstruorum inde effluxus intelligitur. Singulo quoque die ex refluâ insensibilis transpirationis portione additur sanguini corollarium quoddam, quo non solùm augetur liquidi pondus, sed & fibrarum ipsarum elaterium multiplicatur. Elaterio certi sunt limites, quos ultra nequit extendi; at nullus liquorum quantitati & ponderi datur gradus. In fibrarum justo & innato elatere tota naturæ vis posita est. Nihil aliud est natura, quàm partium corporis mechanica dispositio ad motum à primâ impertitum causâ conservandum. Omnis naturæ motus ad functionum integritatem fit, quamvis in morbis à solito movendi modo aberrare quandoque ipsa videatur. Hanc ob causam superfluum sanguinem in statu sano ad uterum propellit. Uterus ex illarum partium numero est, quarum usus non est perennis, sed ad tempus; ut sunt capsulæ atrabilariæ, glandula Thymus, vasa umbilicalia, mammæ, testiculi. Respectu horizontis perpendiculariter situs est in hypogastrio, seu abdominis parte infimâ quæ pelvis dicitur. Substantia mollis est, fungosus, facilè extensilis, nec multùm elasticus, ferè liber, quasi pendulus, vix pressus, totus denique vasis constans, quorum series innumeris notabilis est circumvolutionibus. Locus hic est quieti dicatus, situ suo minorique compressione magis obsecundans. Locus hic est quo natura pleno ruit flumine, dum omnes sanæ sunt partes, id est, ubi in omnibus organis validus adest elater, ita ut cruoris superflui resistentiam sustinere possint, eundemque potentiùs diverberare valeant. Præter ea sanguinis descensum juvat aortæ descendentis amplior in fœminis diameter. Sic liquorum pondus ex refluente insensibili transpiratione auctum unoquoque mense, fluente menstruo minuitur.

V.

ERIT igitur menstrui sanguinis & insensibilis transpirationis una eademque materies, succi scilicet alibilis superflua portio. Solis differunt accidentibus: hæc insensilis est, ille sensibus obvius: hæc partibus magis divisis magisque comminutis constat, ille iisdem magis inter se cohærentibus. Sese vicissim excipiunt; imminuto enim solito perspirationis fluxu, major exurgit menstruorum proventus. Si ex labore, exercitiis, balneis, aëre calidiori major educitur perspirationis quantitas, parciùs deinde fluent menses. Testantur illud idem urbanæ nostræ mulierculæ quæ umbratilis vitæ delicias amant: hæ cum genio indulgeant, ab omni duro labore temperent, mollique

immergantur otio, quo corpus vietum efficitur & plurimo turgidum adipe, solent minus perspirare, plurimo tinguntur menstruo, sæpissimè ægrotant, citiùs ad plures transeunt. Rusticæ è contrà, quarum corpora duris exercita laboribus, firmiores sunt, perspirant ut viri, parum aut nihil excernunt sanguinis menstrui, & ad extremum usque senium absque ullo sanitatis detrimento vitam vivunt. Cutem ergo & uterum inter insignis est consensus. Quibus fœminis præ ætate jamjam purgari desinit uterus, illæ compluribus affici solent morbis, sed potissimùm cutem infestantibus, scabie scilicet, impetigine, tuberculis sub cute nascentibus. Hi ferè omnes affectus ex *Catameniorum* oriuntur materiâ, quæ, cùm ipsi recusetur per uterum transitus, ad cutem tanquam ad originem cogitur remeare.

Ergo fluxûs menstrui & transpirationis materies eadem.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Afforty.
M. Claudius-Antonius Renard.
M. Franciscus Bailly.
M. Andraas de Laleu.
M. Joannes Franciscus Giot.
M. Franciscus-Antonius le Dran.
M. Germanus Preaux, Professor Regius.
M. Joannes Cordelle.
M. Dominicus de Farcy, antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat Parisiis ANTONIUS CASAMAJOR, Bencarnensis, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1720. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.